

SCRIPTA

Numéro Scripta : 229

Auteur(s) : Guaszo [particulier]

Bénéficiaire(s) : Tours, Saint-Martin de Marmoutier (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1060, 30 novembre

Lieu d'émission : Orléans

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Philippe Ier confirme la charte par laquelle Guaszo [de Thimert], avec le consentement de sa femme et de ses fils, donne à l'abbaye de Marmoutier des biens et droits à Croth et autres lieux, à charge pour l'abbaye de Marmoutier d'établir des frères à Croth.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissey, 1862, t. 1, p. 571-572.

b. Prou Maurice, *Recueil des actes de Philippe Ier, roi de France (1059-1108)*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1908, n° VIII, p. 24-26.

Indications

Bauduin Pierre, *La première Normandie (Xe-XIe siècles). Sur les frontières de la haute Normandie*, identité et construction d'une principauté, Caen, Presses universitaires de Caen (Bibliothèque du Pôle universitaire normand), 2004, p. 189-190.

Texte établi d'après b

Quoniam fidelis omnis alteram post istam non dubitat esse vitam, et post mortem pro meritis suis singulos vel tormenta malos, vel bonos premia consecuturos, nemo se debet penitus dare temporalibus, sed que possit in futuro invenire in presenti seculo providere et ea premittere vivus que valeat recipere defunctus. Quibus igitur terrenas opes largitus est Deus, largiantur ex eis et ipsi pauperibus, ut et peccata que propter eas congerendas admiserunt, redimant et insuper mercedem sibi perennem conquirant. Quod qui aliter fecerit, noverit se indubitanter esse deputandum inter illos ad penam qui transitoria hec et umbra similia seculi bona pro eternis amplectuntur ac diligunt et se ad eterna et semper mansura non preparant. Hec et his similia ego Guaszo, seculari militie mancipatus, tacita cogitatione mecum revolvens, utpote homo cui revocat conscientia ad memoriam, non sine trepidatione mentis hinc gravia et innumerabilia peccata que contraxi, illinc iudicium extreme districtiois, necessarium duxi aliquid ex rebus propriis, que ad usum exterioris vite sunt michi concesse, per manus pauperum ad placandam iram venturi iudicis in celestes thesauros transmittere, quod post tempus in eterna retributione ab ipso iudice centena merear multiplicatione recipere et ipsum tunc videre placatum quem nunc merui habere iratum. Quod ut probabilius fieri possit per manus illorum maxime qui sunt pauperes spiritu quorum, juxta veritatis vocem, regnum dinoscitur esse celorum, facere decrevi, qui ut liberius expeditiusque Deo vacarent propriis abrenunciantes facultatibus

voluntariam subiere paupertatem. Igitur fratribus his qui in Turonensi cenobio, quod Majus Monasterium dicitur, omnipotenti Deo, sub Alberto abbate, pro posse famulantur, voluntate et assensu mee conjugis Frodeline necnon et filiorum meorum, Hugonis videlicet et Gausberti simulque Guaszonis, quicquid videor habere in meo dominio ad transigendam seculi hujus labentis vitam, apud villam que dicitur Chrotus, in Normannia sitam, in territorio videlicet Ebroicarum, id est ecclesiam cum omnibus ad ejus altare pertinentibus, et familiam utriusque sexus, prata quoque, vineas, molendinos, decursum aque, piscarias, culta et inculta, totum ex integro, preter silvam, annuente donno Hugone Bardone, de cujus beneficio videntur hec esse, pro redemptione animarum nostrarum jure perpetuo confere possidendum. Terra autem que vomere carruce proscissa et sulcata ad proferendum fructum fuerit infra circuitus et anfractus prefate silve, ad imitationem terre sibi adjacentis, solvat predictis fratribus terragium et decimam ; que vero visa fuerit proferre segetem quoquo modo absque opere atrari, solummodo decimam. Mellis quoque decimam quod ibi inventum fuerit similiter huic donationi adicio. Ipsam silvam utantur omni tempore tam monachi quam rustici, monachi ad omnes necessarios usus, rustici vero tantummodo ad mansiones faciendas. Porci etiam monachorum inibi commorantium habeant libertatem discurrendi per totam silvam annuatim, quando pastio fuerit in illa. Hec ita prosecutus deinde adiciendo largior predictis fratribus quicquid subjacet meo dominatu apud Novovillam, quod est de beneficio regis, id est homines, feminas, prata, vineas, silvam, molendinos, aquam, culta et inculta. Simili quoque modo subiciendo adicio huic donationi villam quae vocatur Paniscoctus cum familia utriusque sexus et omnium rerum plenitudine ad se pertinentium, voluntate et assensu predicti Hugonis, de cujus beneficio probatur haec villa esse. Additur etiam his ecclesia que appellatur Favarole, que est de beneficio regis, cum terra unius carruce et quicquid videor habere apud Baldovallem, in ejusdem ecclesie parochia sitam. Post hec postulavi a predicto abbate deprecando ut in loco illo, cujus supra memoriam feci, qui dicitur Chrotus, aliquos constitueret fratres qui inibi omnipotenti Deo sedulum exhiberent officium ; quod, Deo donante, apud illum obtinere merui, ea scilicet ratione ut ejus dispositione et arbitrio et eorum qui ei successuri sunt qui abbates Majoris Monasterii fuerint, pendeat de numero et qualitate eorum fratrum qui ad predictum locum sunt transmittendi. His ita vero sollempniter peractis, omnia hujus nostre oblationis dona, sicut per ordinem narrationis sunt digesta, annuentibus prefatis filiis meis necnon et conjugis coram nostris hominibus, quorum nomina pro testibus sunt subscripta, solida et quieta et ab omni cujuslibet mortalis consuetudine calumniave liberrima, de nostro jure in jus et dominationem sancti Martini Majoris Monasterii transferimus atque transfundimus, ita ut ab hodierna die supradicte congregationi suisque successoribus cum abbatibus qui eis pro tempore preerunt, liceat illa jure perpetuo possidere et quicquid exinde agendum decreverint, sine ulla vel mea vel cujusque successorum meorum contradictione, liberam potestatem habeant faciendi, ordinandi et qualitercumque eis placuerit meliusque visum fuerit disponendi tam presentibus quam futuris temporibus. Et ut hoc nostre largitionis scriptum per cuncta annorum curricula majorem obtineat firmitatem per nostram deprecationem Philippus rex, divina ordinante providentia rex Francorum augustus, sigillo sue dignitatis munivit.

S. Rodulfi vicecomitis. S. Guarini clerici.

S. Gauslini de Leugis. S. Ansegisi, hominis sancti Martini.

S. Guarini de Islo. S. Hildeberti coqui.

S. Gauscelini de Regemalasto. S. Ingelrici sartoris.

S. Germundi Caulis. S. Frodgerii mariscalci.

S. Rainaldi, fratris ejus. S. Guillelmi, filii Aszonis vicarii.

S. Norberti de Arcellis. S. Rodulfi monachi.

S. Galterii, filii Viviani. S. Galterii monachi.

S. Guidonis Bollenis. S. Rodulfi monachi.

S. Huberti Mordentis.

S. Gualterii, fratris ejus.

S. Osberti, canonici sancte Marie.

Signum Philippi gloriosissimi regis.

Eustachius notarius ad vicem Balduini recognovit et [subscripsit].

Data .II. kalendas decembris, indictione .XIII., anno .I. regni Philippi gloriosissimi regis.

Actum in Aurelianis civitate. In Dei nomine feliciter, amen, [amen].